Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1387
Quelle:
Copyright:

Novi, quem *Innocentius* IV. jam 1253. Sanctis adſcripſerat.

III. *fol.* 132. p. 2. *Aduerte in nomine chriſti amen, quod ſubſequentia notata ſunt de adam. Adam* hic *Anglus* mihi videtur Magiſter *Pariſinus*, de quo *Bulaeus* in *Hiſt. Univ.* T. I. p. 149. *Tannerus* in *Bibl. Brit. Hib.* et cujus Scripta in *Magiſtrum Sentent.* et *Quaeſtiones ordinarias* facile primi Academiae *Vindob.* Conditores *Henricus de Haſſia* et *Henr. de Oyta* ſecum e *Gallia* deferre potuerunt. Ineunt Excerpta noſtra prorſus miſcella: *Studium ſacre ſcripture eſt meritorium vite eterne* &c.

IV. *fol.* 164. p. 2. *In nomine chriſti de ſumma, aduerte.* Difficile eſt, inter tot *Summas* diſpicere, quam innuat Noſter, qui incipit: *Cauſe errorum ſunt 8. Primus eſt ignorancia menſure et capacitatis intellectus humani* &c.

V. *fol.* 188. *In chriſti nomine Amen. Sequentia notata ſunt D. de Oyta. Henrici* nempe *Pariſiis* evocati ab Alberto Duce a. 1379. ad docendas apud nos ſacras Literas, de quo plura P. I. *Scriptt. Univ. Vien.* p. 58. Notatorum initium: *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata utilis eſt* &c.

DCXVII.

U. 451 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 166. f. per duas columnas multis quidem compendiis, ſed luculente et nitide perſcriptus, fronte deaurata et picturata, coloribusque per totum illuſtratus titulo quidem nullo inſignitur, ſed ad calcem ita habet: *Explicit iſtud opus de cauſa dei contra pelagium et de uirtute cauſarum* (et de) *uirtute dei cauſe cauſarum perſcriptum pariſius. anno milleſimo. CCC^mo^. XLV°. domini ihesu chriſti.* Habemus itaque Opus, de quo jam *Vol.* I. P. 2. *col.* 1387. egimus, *Thomae Bradwardini*, quem in *Brauardinum*, *Bragwardinum* &c. corrupere Librarii, *Ciceſtrienſis Angli*, et quidem Autore etiam dum vivo deſcriptum; annum enim ille 1349. ſupremum cenſuit creatus tunc *Cantuar.* Archiepiſcopus. At vero, quid *Libro* ejus I. factum ſit, ignoro; nam praeſens Codex diſtractus a ſocio *Librum* II. auſpicatur his verbis: *Tractatu ſiquidem premiſſorum huc vsque continuo progreſſoque in longius quam putaui* &c. quae exacte usque ad *Libri* III. et ultimi finem cum unica Editione *Londin.* ab *Henr. Savilio* 1618. f. curata ita conſpirant, ut plane eadem Clauſula, quam ſupra adtuli, in *Savilii* Codice fuerit illo ſolum diſcrimine, quod pro *Pariſius* et anno 1345. *London* et annus 1344. exhibeatur, adeoque, niſi locorum obeſſet diſtantia, noſter ex illo deſcriptus videri poſſit.

DCXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. U. 452
XIV. Folior. 128. f. per duas columnas exaratus omnes III. *Libros* praedicti Operis complectebatur,